Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-468798-p0001-5

D9

9949

9u

34 975.

CHRISTO AVSPICE!

DISSERTATIO MEDICO-CHIMICA De OLEIS DESTILLATIS,

SVB

PATROCINIO

RECTORIS DESIGNATI MAGNIFICI,

GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII,

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALIS SAXONICI, THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,

Pro-Patris, Patroni, Præceptoris ac Promotoris

æuiternum deuenerandi,

AD D. JVLII M DC XCVI.

IN AVDITORIO MEDICO,

horis consuetis,

PVBLICÆ PHILIATRORVM CENSVRÆ

subjecta

a

GEORGIO HENRICO Rosenberg/

GOTHA - THVRINGO.

JENÆ,

LITTERIS NISIANIS.

976.

PRÆLOQVIVM.

Maximus est naturæ & artis symbolismus, vt dubium sæpe exoriatur, vtra alteram præstet. Natura amplissimum campum philosophandi exhibet, ars illum lustrat, expendit, & fructus vberrimos inde expromit, quosque diuite cornu largitur, cum fœnore in vsus trahit.

Non dicemus de arte in genere, vel speciatim de medica, quæ naturam tanquam magistram sequitur, & inquirit; vna suffecerit chimia, quæ velut intimioris admissionis arcana e sinu ejus haurit, & occulta in apricum sistit.

Est hæc species philosophiæ mechanicæ, administro igne, duce ratione, arbitra experientia, nodos plusquam Gordios extricans, dissecans, & in vsus deducens.

Συγκρίσι & διακρίσι vtitur, dirimens particulas dissimiles, vniens homogeneas, exaltans vnitas, congregans dispersas, euehens & separans vtiles ab inutilibus, actiuas a passiuis.

Eminent inter hæc artificia OLEA DESTILLATÁ, quorum dum aggredimur naturam, ἰγχείρησιν, & vires, a Deo O.M. sacrosancti flaminis adjumentum deuote exoramus.

978.

CAPVT I.
De
Oleorum deſtillatorum natura.

Olea & aquæ deſtillatæ paris ſunt inuentionis, ignorata veteribus, chimiæ fœtus vtraque. Separatæ videntur olim fuiſſe duæ hæ artes, chimia & medicina; illa transmutandis magis metallis adhibita ac intenta, hæc curandis morbis; vnde factum fuit, vt ſeparatim quilibet ſuis intentus alium ſcopum alio proſequeretur medio. Accesſit ſecreta occultandi conſuetudo, vnde non admisſi inuicem, nullo commercio intercedente, toto quaſi diſtabant cœlo.

Teſtantur id vtrorumque ſcripta. Si euoluamus antiquos Græcos, Medicos & Philoſophos, rudimenta apud ipſos offendas & fundamenta deſtillationis, deſideres experimenta, vt deſtitutos mireris ſeparandi arte in auia delapſos. Sin Chimicos veteres, qui quidem extant, excutiamus, de diuina arte, vt vocant, lapide Philoſophorum vel magiſterio magno, Stephani Alexandrini, Heliodori, Hierothei, Archelai, Pelagii, Syneſii, Zoſimi, aliorumque, qui conjunctim in MSS. habentur Græci, parum vel nihil ad medicos vſus transſumptum videas.

Et ob hanc ſeparationem tam diutinam, cui defectus typographiæ & plura alia ſtrenue contulerunt ſymbolam, factum eſt, vt ſeris admodum ſeculis, & vix ſuperiori plenius enotuerint, in officinas publicas recepta. Acceſſit medicorum in laborando αὐτοχειρίας incuria, & ignorantia, qui antiquis dogmatibus vnice addicti neglectim habuere naturæ ar-

arcana, paucis exceptis, tum pharmacopœis, tum medicis. Exemplum præbet, præter alios, *Hieronymus Brunſuicenſis*, pharmacopœus & chirurgus ciuitatis Argentoratenſis, *Paracelſus*, aliique, qui vel deſcribunt hæc ipſa, vel recenſent. Hinc diſcordia ac diſſidium inter vtrosque, illos Dogmaticos, hos Chimicos, deſpicientes ſeſe inuicem & declamantes, diſtulit longius inuenta non minus ac vſum pleniorem.

Olea DICVNTVR, quod natiuis ſint ſimilia & ſymbolica, ſeu texturam ſpectes, ſeu originem, ſeu affectiones, & vires ipſas, quas tamen καθ' ἐξοχὴν, & longe maiori actiuitate poſſident. Nominatim ab olea, indeque prolecto oleo oliuarum, cui ex minerali regno reſpondet oleum petræ, vel terræ quoque dictum, quod æquipollet deſtillatis. Alias & quintæ eſſentiæ audiunt etiamnum, vti oleum citri verum & alia ita appellantur ab Italis; ne de balſamis liquidis dicamus.

Deſtillata vero ſunt & dicuntur, ad differentiam aliarum præparationum, ſiue id fiat per expreſſionem, vt olivarum, nuciſtæ, ouorum; ſiue per inſolationem, vt oleum ſcorpionum, liliorum alborum; ſiue per coctionem, vt anethinum, roſatum. Deſtillare quid ſit, hodie notiſſimum eſt, & tum per mechanicam, tum terminis Hippocraticis exprimi poteſt, quandoquidem πᾶν τὸ ὑγρὸν θερμαινόμενον λεπτότερον γίγνεται, καὶ πᾶν τὸ ὑπεῖκον ῥεῖ, *omne humidum calefactum tenuius fit*, (hoc loco concluſum vaſis debitis,) *& omne cedens fluit*, propulſum a calore, *l. de loc. in hom. c. 15. t. 10.* Et alibi, *l. de flatib. c. 13 t. 1.* λήκεται γὰρ πυρούμενον, καὶ γίνεται πνεῦμα ἐξ ὑγροῦ. *Liquefit enim, quicquid ignea vis illa attigerit, fitque inde ſpiritus*, ſeu vapor, quando, ut ibidem mox addit, a *feruentibus aquis vapor eleuatus, ſi obſtaculum habeat, ad quod impingere oportet, coit iterum ac condenſatur, guttæque deſtillant ab his corporibus, quibus vapor ipſe fuit alliſus.*

Hinc, vt ſummatim hæc pateant, & concipi melius poſſint, ſequentem in modum DEFINIEMUS: Olea deſtillata ſunt liquores inflammabiles concentrati, ſapidi, odorabiles,

940.

inter aquas & ſpiritus medii, via humida, vel ſicca quoque, vi ignis, e ſubjectis aptis artificioſe tenuato & vnito ſulphure prolecti, pro variis iisque inſignibus vſibus.

Dum olea ſunt & appellantur, ſpecies innuitur ſulphuris, cui originem debent ſuam, ſub hujus genere puta comprehenſa, particulæ ramoſæ, globoſæ, plicatiles, volubiles, ſaltim a prædominio texturæ, dictæ. A conſiſtentia fluida ſunt, adeoque liquores, & quidem non tam a priori, ſtatim ſui, quam a poſteriori, vehiculo aquæ, intime coadunitæ, beneficio caloris producti. Hinc quod in ſolida vel media conſiſtentia ſunt reſinæ, & balſama, id in liquida olea, & hoc ſenſu ſulphur reſolutum & liquatum, reſinæ liquatæ, quam conſiſtentiam mora temporis ſeu ætate affectant & acquirunt iterum, cumprimis bituminoſa. Imo & olea expreſſa aquoſiora in mucilaginem fatiſcunt, ſucceſſu temporis concretam, exemplo olei hyoſcyami.

GENUS hoc determinant, quæ DIFFERENTIÆ SPECIFICÆ loco adduntur. Liquores ſunt inflammabiles, ignem admittentes facile, quod φλογιστὸν proprium eſt ſulphuris, vt ſignum & vt cauſa, promtum enim flammæ pabulum præbent, in motum rapidiorem citata ab igne, & æqualiter ſine contrarietate abſumpta. Cum vero & ſpiritus vinoſi, κατ' ἐξοχὴν dicti, ſint φλογιστοὶ, & promte flammam ſubeant, differunt textura hac ſua, ſeu modo fluiditatis, & inter ſpiritus & aquas medii ſunt liquores.

Non miſcentur cum aqua, vt ſpiritus, ob poros magis concluſos & cohæſionem particularum, vnde excludunt aqueorum introitum & admiſſionem, ſed vel ſupernatant, ob hanc diſſimilitudinem æqualiter diffuſa per ſuperficiem, ob quam expanſionem æqualem ſuſtinentur, juncta ætherea levitate, qua non grauant; vel fundum petunt, magis globoſa, vt bituminoſa quædam, minus æqualiter diffundi apta, & ſalino pondere, quo magis premunt, fœta. Secus fit in ſpirituoſis, quæ ſtriis quidem oleoſis in miſcela differentiam tex-

turæ

turæ oſtendunt quoque, ſed breui ſolubilem & in poros aquæ concedentem.

Et quidem id accidit ob tenuatas magis particulas ramoſos, euolutas, diffuſas & flexiles redditas, planasque, idque beneficio fermentationis. Atque hæc ratio eſt, quod non poſſint proprie oleorum titulo venire, cum non miſceantur, ſibi relicti; quæ vero non miſcentur, non ſunt homogenea, neque vno nomine comprehendi poſſunt, ſed merito peculiarem claſſem conſtituunt ſpiritus. Multo minus liquores ſalini, non inflammabiles, ad olea proprie dicta pertinent, quamuis ἀκύρως, recepto loquendi vſu, ita dicantur, vt ex acidis oleum ſalis & vitrioli eſt potius ſpiritus acidus concentratus & ſulphureus ſalis & vitrioli, non inflammabilis, non oleoſus proprie dictus liquor; ex alcalicis oleum tartari per deliquium, ſaturato magis ſale fluido aqueo.

Sed Subjectum quoque, ſeu materia ex qua, videndum eſt. Vt non e quouis ligno fit mercurius, quod dicitur, ita non quælibet deſtillationi ſubiecta fundunt oleum; quamuis fruſtra in ligno aliquo, vt Guaiacino, negetur dari oleum, quod tamen verum eſt & mitius explicari poteſt, ſi de æthereo id intelligatur, cum magis ſit hoc bituminoſum; elegantiſſimum vero & æthereum ligni ſaſſafras.

Si in genere tria vſitata regna luſtremus, ſingula fundunt olea & ſubminiſtrant, principaliter vero vegetabilia, adæquate animalia, ipſaque mineralia. Ex animali regno vnicum ſuffecerit fere caſtoreum, vtut hodie, aucto impenſe pretio eiusdem, vix in officinis offendas oleum caſtorei. Ex minerali ſuccinum album & flauum fuerit inſtar omnium. Ex vegetabili vero vbere prouentu ſuggeruntur olea.

Hic vero, vt alias paſſim interpolando id faciemus, notare operæ pretium eſt, duplicia eſſe olea deſtillata, alia *ſubtilia*, alia *ſpiſſiora*: ſubtilia ſunt vel *aromatica*, vel minus talia, vtraque tamen ætherea & euolare magis apta, tenerioris conſiſtentiæ; ſpiſſiora *bituminoſa* magis, vt & ex vtrisque *mixta*, ad exhau-

982.

hauriendam latitudinem omnem. Primum locum tenent aromatica, seu ex plantis talibus, seu aromatibus καθ' ἐξοχὴν dictis, seu lignis quoque oriunda. Quæcunque enim plantæ sunt aromaticæ, odore, sapore, de sale volatili oleoso testantes, largiuntur olea destillata, idque gradu diuerso, quo magis talia, majori prouentu, quo minus, minori.

Testantur id plantæ cephalicæ, pectorales, stomachicæ, aliæque ejus commatis, diuersis tamen partibus: e radicibus zedoariæ, angelicæ; ex foliis, menthæ, rosmarini, hyssopi; e floribus, lavendulæ, spicæ nardi; e seminibus rutæ, anisi, fœniculi, carui; e lignis, sassafras, rhodio; e corticibus, citri, aurantiorum, cinamomi; e fructibus, caryophylli, nux moschata, ejusque operculum floridum, macis, quæ aliis contra idem præstant largiori fœnore.

Quæcunque nempe partes plantarum magis ramosas, odoriferas, balsamicas, resinosas volatiles habent atomos, usitato & magis expromi de se sinunt oleum, & contra. Faciunt huc antheræ ipsæ, rosarum v.g., & semina inprimis, in quæ sal volatile & balsamicum sulphur velut vltimate concessit. Hinc cochlearia, præterquam adscito simul semine, ruta, & piper ipsum respectiue minori prouentu obtinent oleum.

Addendum vero est, sermonem esse maxime de officinalibus, vsitatis in praxi, & his æquiparandis: alterum item, olea destillata alia esse primaria, alia secundaria, illa maioris & frequentati magis vsus, hæc minus talia; illa a primaria intentione vel quasi dicta & prolecta, hæc secundaria, quasi aliud agendo, subsequa, vel comitantia spiritum & sal volatile.

Bituminosa itaque prædicantur magis de spisfioribus, vel minus alembicum transcendere valentibus, saltim per totum, vel minus sale volatili instructis, quorum quædam primaria sunt, vt oleum terebinthinæ, ipsiusque succini; quædam secundaria, vt oleum tartari, cornu cerui, ligni sancti, fœtida, empyreumatica. Suntque hæc quædam etiam per accidens talia, a modo destillandi diuerso, vt inferius dicemus.

Et

Et hic locus est quoque differendi, quod olea destillata alia sunt *genuina*, alia *spuria*, seu falsata, illa vocando pura, & citra addita resinosa vel bituminosa, hæc accessione horum facta, nominatim terebinthinæ. Licet vero certis casibus id concedi queat, vt in oleo chamomillæ, ex herba & floribus chamomillæ simplicis vel Romanæ parando, seu rasura ligni abietini, seu terebinthina societur; in aliis tamen aromaticis revera fallit.

Optandum hinc esset, vt velut senatus consulto quodam decerneretur, ne talia in officinis extent, nec in usum vocentur internum, nec ad balsama inde paranda, nec in genere, ne falsata sint olea aromatica. Præstat v. g. gutta vna olei citri, maioranæ, rutæ, lavendulæ &c. genuini, quam decem spurii & terebinthinati, in quo fallacia manifesta committitur. Solemus hinc ad differentiam illam exigendam id monere additamento vocis: veri, & ol. lauend. maioran. &c. veri, quod ne sic quidem semper obtineas.

Patet hinc porro, ex dictis, non omnia olea esse destillabilia, etiamsi explicita magis & expressioni obuia, vt oleum olivarum, hyoscyami &c. saltim communi ἐγχειρήσει, destituta vectore sale volatili, & discontinuationi repugnantia; imo ne resinas quidem. Mire fatigat autores camphora, resina volatilis, non tamen æque in oleum via communi destillabilis. Quam prompte sublimatur, tam difficulter destillatur, ob vehiculi aquei ingressum denegatum. E contrario quædam sunt satis oleosa, magis tamen destillari amant, exprimi minus, exemplo caryophyllorum aromaticorum, quorum oleum in Indiis etiam ex foliis parari assolet.

Repugnant item nec olea destillata præbent, præterquam essentialia empyreumatica, acida, acetosa, acetosella; vt & amara, sale volatili minus fœta, scordium, centaurium minus, fumaria, vnde quæ de oleo rhabarbari encomia recensentur a *Lotichio*, vel aliis, cum grano salis sunt intelligenda, ne de aliis terreis dicamus & salinis.

949.

CAPVT II.

De Εγχειρήσει

Oleorum deſtillatorum.

SEd progredimur jam ad oleorum deſtillatorum PRÆPARATIONEM, ad leges aliarum operationum chimicarum, pharmaceuticarum, imo & chirurgicarum adminiſtrandam, quam in rem & antecedentia, & ἐγχείρησις ipſa, & conſequentia luſtranda erunt.

Recipiuntur nimirum, quæ oleum deſtillatione mediante in apricum ſiſtere apta nata ſunt, ne oleum & operam perdamus. Sunt enim quædam aromatica, quorum particulæ ſulphureæ, ſubtiles, volatiles eminent quidem, ſed minus oleoſa veſte viſendæ, niſi in magna quantitate ſubjiciantur operationi. Satius hoc fuerit, quam corpus oleoſum ſuccedaneum ſuppeditare, ne quod natura ipſa denegare voluit, fallendo mutuemur. Videas eo caſu ſuperficiem aquæ deſtillatæ lambere & nubeculam quandam exhibere particulas oleoſas, expanſas & diffuſas æqualiter, minus vero unitas, minus ſeparando vniendas, nec obtinendo ſic facile oleo. Adeoque & hoc loco in aucupandis oleis deſtillatis valet illud Poëtæ: Tu nihil invita dicas faciasve Minerva.

Contra ea vbi abundant partes oleoſæ deſtillabiles, vel libra vna ad deſtillationem ſuffecerit, vt in caryophyllis aromaticis, ſuccino, &c. Ipſum aniſum delicatius non adeo largo cum fœnore oleum profert, ſi libi vel alteram receperis, ſed ſi maiori pondere, vt in vicinia ex ſcobe neglectim habita, & minori pretio obtinenda, largius id obtinetur. Idem de aliis valet, vt diffuſa prius oleoſa ſubſtantia v. g. in libra vna hinc in vncia ſemis, drachma vna, dimidia, imo & guttulis ſaltim aliquot concentretur vel haberi queat.

Vbi item habentur vel antheræ, vel ſemina eiusdem virtutis

tis cum floribus ac herba integra, consulto hæc expectantur, caque probe matura, quod de ruta, antheris rosarum, & aliis verum est, ad prouentum olei maiorem. Et ne obstet humiditas, ipsæque particulæ balsamicæ consistentiam acquirant oleis aptiorem, non tam humidæ & recentes plantæ, flores, & semina vix decerpta vel excussa eliguntur hoc scopo, quam siccata prius, vbi & odor & exhalatio maior est. Secus tamen in rosis fit, quæ pro aquæ destillatione non facile siccatæ sumuntur.

Imo & contundere & confricare sunt qui jubent destillanda in oleum, quo tamen vix opus est, imo potius deuitandum. Enimuero cum aromaticæ particulæ & atomi elementa constituant oleorum, pulverisatione ista magis auolant & sic perduntur vires, quas colligere satagimus. Accedit, non obstare conformationem integram relictam, quin expromi vi ignis queant partes oleosæ, integris v.g. caryophyllis, & confracto cinnamomo, a destillatione relictis, caput mortuum tamen exhibentibus, seu cadaver, spoliatum & exutum anima. Opus tamen eo est in compactioribus, vt ligno sassafras, in scobem redigendo vel rasuram, vt magis aditus pateat igni, & exitus viribus aromaticis.

Hoc vt facilitetur, VIA quidem HUMIDA, infunduntur destillanda cum liquore communiter, & vsitato aqua simplici, quæ & menstruum vniuersale est, aquis, spiritibus, oleis destillandis commune, & vehiculum oleorum, quæ & primo huic fluido debent suam consistentiam, & in illud vltimate resoluuntur. Idque fit sufficienti & larga quantitate, vt omnimode ad exhauriendum oleum suppetat, neque quippiam relinquatur. Laxat hæc poros, debilitat & aggreditur partes oleosas, vtque destillatio peragatur feliciter, maceratione & digestione hac opus est.

Auget hanc & acuit, veluti clauis quædam, salis communis & tartari connubium; illud ad m. j., hic ad vnam alteramque vnciam additus. Non solum enim lenis fermentatio sic inuitatur, sed & inter ignis illam torturam vi sua incisoria, atte-

nuante, fundente, partes oleosas tum liberant, tum attenuant magis, vt exhalare facilius nitantur, neque tamen vllo modo alterant vires seminales, sed integras plane relinquunt, adeoque optimo consilio in censum hunc apparitorum veniunt.

Quod si vero non tam oleum parandi primaria sit intentio, quam aquam destillatam, additione quidem illa supersedere licet; attamen reuera est innoxia, & ibi quasi aliud agendo acquiritur duplici vsura oleum, quod in aqua rosarum potissimum, imo & aliis obtingit.

Non sola tamen aquæ additio obtinet locum, sed & succedaneum sunt olea non raro ipsorum spirituum. Est enim, vbi & spiritus destillati oleum suppeditant simul. In aromaticis quidem id minus consueuit fieri, vel addecet, siquidem absorbent in se spiritus olea ætherea, vt sub illorum vestem concedant, non sua superbiant visenda. Videmus id in aquis seu spiritibus potius apoplecticis, resoluta vi aromatica, in aqua secundaria albescentia se prodente, & cum priori spirituosa commiscenda. Idem puta de spiritu theriacali & aliis aromaticis, vnde & spiritus apoplecticus recipit & imbibit olea aromatica similia; egregio connubio spirituum etiam vrinosorum cum vinosis & oleis aromaticis, quod exemplo spiritus apoplectici, salis ammoniaci & olei lauendulæ ad oculum patet.

Quin & secundaria spirituum horum sub finem stillantia cum phlegmate seu aqua rorida quædam obtinentur olea, vti spiritum formicarum aliquando prorogato igne pauculæ guttulæ olei excipiunt, idemque in spiritu theriacali obseruatur. Ast si fatemur, quod res est, non æque virtuosa sunt illa olea, sed minorum gentium, nisi quæ ob copiam aromatum additorum resultant, & in theriacali spiritu melli potius debentur.

In bituminosis id magis valet, vnde oleum juniperi vtplurimum secundaria intentione elicitur, quando spiritus juniperi præparatur, virtute illa balsamica minus in spiritum vini trajecta, sed in oleo suo subsistente, cum in aliis spiritibus paran-

randis, per dicta, ſileat magis & oculatur oleum. Vnde & pro rectificandis quibusdam oleis, vt ſuccini, ſi quidem odor paulo ingratior ſit retundendus, menſtruum hoc ſpirituoſum aſſumere licuerit.

Aliter autem ſe res habet, ſi ex alio capite adhibeatur ſpiritus vini, ad extrahendum & cohobandum eousque aromaticas oleoſas partes, donec ipſiſſimum oleum, idque elegans, obtineamus, quod exemplo corticum citri & aliorum perficitur ab artificibus, in Italia præſertim, vbi horum copia ad manus eſt, & vſus frequens, ad nos quoque tractus cum ſucceſſu.

Singulare menſtruum expoſcit ſibi laudata camphora, quæ in aquam non concedit, in ſpiritu vini rectificato tota ſoluitur, neutri olei formam euehendi poteſtatem largitur, igni vero per ſe expoſita, vel additione boli, tota euaporat, deſtillationem ſiccam præ humida amans. Hinc, præter alia forte nondum æque in vulgus cognita artificia, inventus eſt modus, quo liquari poſſit, & hoc pacto in oleum redigi, per ſpiritum nimirum nitri. Huius enim particulæ acido-ſulphureæ ingreſſum inueniunt, & exiguo temporis ſpatio, obſtetricante leniſſimo calore, peculiarem liquoris ſphæram conſtituunt, repetito actu additionis nouæ camphoræ, pro lubitu, adaugendam. Facta hinc deſtillatione maior quidem pars priſtinam affectat & aſſumit conſiſtentiam, leui adiuncta tinctura ſubflaueſcente; aliqua tamen olei forma obtinetur. Vt adeo oleum camphoræ verum merito inter magiſteria chimica, ſui generis, numerari mereatur, & carius ſit, quamuis non æque melius, ſuccedaneo per ſolam ſolutionem in oleo amygdalorum dulcium ſi non præferendo, ſane eiusdem virtutis, ob camphoræ ſummam puritatem & ſubtilitatem.

Destillatio ipſa fit per veſicam æneam, cum ſuo alembico ſtanno obducto, cum refrigeratorio dolio, munitis probe commiſſuris, elutis canalibus, recipiente appoſito, & igne adminiſtrato ex artis legibus. Veſica inſeruit huic ἐγχει-

φήσει, partim ob copiam & quantitatem maiorem subiecti destillandi, minimum quoad aquam, id quod in cucurbita vitrea non succedit, multo minus in retorta; partim ob calorem expetitum maiorem, seu ignis administrandum gradum.

Enimuero vesica ipsa immediate ignis rigori exposita sine dubio fortius urgetur destillanda materia, quam mediate, seu catino, arenæque imposita cucurbita vitrea, seu aquæ feruidæ stannea, quod balneum Mariæ vulgo inepte vocant. Accedit propulsandi liquoris respectiva inertia, aqua enim segnius ascendit, in plures atomos dispersa, quam spiritus vini, vnde optimum instrumentum non vno nomine est vesica, seu minoris, seu medii, seu maximi quoque moduli, pro scopo & intentione variante artificis.

Relinquendum etiam necessario aliquod ad ebulliendum spatium, ne oras transcendat, quæ quidem & alia olea cum aquis destillandis & spiritibus habent communia; sunt tamen & cautelæ quædam circa ipsam hanc operationem notandæ, tum circa initium, tum circa finem eiusdem. Cauendum est in principio, ne præcipitetur ignis administratio. Canis enim festinans, vt in prouerbio est, cœcos parit catulos. Facile enim impetuosius ebulliens liquor, ὀργασμῷ accedente, molecularum oleosarum, transilit impetuose & confuse oras alembici, sicque omnis luditur opera, seu potius oleum & opera reuera perditur. Cauendum in fine, ne ad siccitatem fiat destillatio, alias empyreuma contrahitur, & sic perdito processu. Adeoque præstat maiorem aquæ quantitatem & hac de causa affundere.

Secus paulo fit, si destillentur olea VIA SICCA, citra affusum menstruum, quod in bituminosis primario, adæquate in secundariis valet magis. Vtut enim terebinthina commode etiam per cucurbitam & alembicum destilletur, per se, & via humida, accessione s. q. aquæ, etiam ex arena, laxioribus eiusdem repagulis; in aliis tamen id minus succedit. Vbi

scili-

scilicet tenacula fortiora sunt, quam vt aquæ feruidæ conclusæ, vel spiritus vini quoque, medio ac tortura euaporari possint mixta, itaque fieri χύσις καὶ διάκρισις, *liquatio & separatio* hoc loco olei, citra menstrui vllius affusionem idem peragitur.

Sic valet hoc de succino, flauo & albo, nec secundario vsu affundendo aliquo liquore, remorante potius ἐγχείρησιν, adeoque per retortam vitream igne arenæ instituitur successiua & perfecta destillatio. Successiua quidem; si enim urgeatur ignis, prompte egurgitat, & transfluit liquatum succinum, non nisi colore & odore mutato, perdito itidem processu; quem in finem & collum paulo altius locandum est, vt id præcaueatur magis. Ita enim ordine phlegma aciduum, in aliis, vt tartaro, C. C. &c. spiritus, in quibus extat, sal volatile, & tandem oleum se excipiunt.

Perfecta vero quoque fieri debet destillatio, non restante resina amplius in oleum euaporanda, non reliquis adhuc vlterius exigendis, sed terreo capite mortuo, cum empyreumatici olei reliquiis exustis. Quod enim vna opera fieri potest, non eget repetita, ne actum agas.

Sunt, qui ad dissociandas partes bituminosas addunt terrea, vti sane caput mortuum a spiritus salis destillatione residuum, cineres item cribellati & alia huius commatis ad hoc impendi, præter alia, possunt; illo vero, præterquam in pure oleosis, vix opus est, quandoquidem experientia constat, fieri id posse citra tale periculum. Vnde superfluum fere id est in destillatione succini, inconueniens plane in ☋us ♀ri, C.C .& olei eorundem exstillatione; particulis enim pollent terreis pluribus, sufficienter illum fluorem compescentibus, & promouentibus ad extra.

Aft alia res est in oleis cæteroqui aquosis, pigris, & euaporare impotentibus; in his enim opus est discontinuatione, vt diuisis globulis pateant particulæ propulsanti ignis calori, quod citra hoc medium fieri non poterat. Quando enim

oleum

990.

oleum oliuarum, vt philoſophorum hinc, cum vulgo loquendo, vel laterinum audiat, cum tamen e lateribus non plus, quam ex pumice protrudi poſſit olei, imbibitur fruſtulis laterum candentibus, non amplius tueri ſe vel ſegregari poſſunt, quin in gas abeant, particulæ oleoſæ. Hinc nouus quaſi modus conſurgit, medius inter priores, quando humidum ſicco exhauritur, vt igni hinc pareat, neque id ſine inſigni experimento uſuque.

Idem ſuo modo obtinet in deſtillatione ceræ, ſaponis, pinguedinum, mellis item ipſius, ſacchari, & mannæ, tanquam dulcium, apprime ſpumeſcentium, vbi cineres ſeu partes terreæ ſalinæ frenum ponunt, vt omnia pacate defluant, & habeatur ſic oleum deſideratum, vel conſectarium ſpiritus cuiuslibet, neque enim omnia olea ſunt vſitata. Vtvt vero olea via ſicca conſurgentia maius vel minus empyreuma de ſe ſpirent; habent tamen hoc iterum ſingulare præ reliquis, quod, quæ mixta ſal volatile in ſinu ſecum gerunt, id una fundant hoc pacto cum oleis. Viſitur hoc in oleo ſuccini, cuius ſal volatile reliquis contra, ob acidulas partes & miculas oleoſas, non in auras, vt alia, avolat & diſſipatur, vel conſumitur; in aliis vero non minus luculenter, v. g. ſi ſemen rutæ per retortam deſtilletur l. a., ſpiritus vrinoſus, & ſal volatile, cum oleo penetrantiſſimo, obtinetur.

Quod ſi CONSEQUENTIA penſitemus, olea aromatica, ætherea & ſtatim ſua ſola egent ſeparatione, cum reliquis plerisque communi, ab aquæ vel ſpiritus ſocio vehiculo. Fit hæc ipſa tum aliis modis, tum per quietem aliquam, qua confuſa & diſperſa vniuntur, vel in ſuperficie, vel in fundo. Et opus hoc fere magis eſt in poſterioribus, ſi quidem lacteſcant aquæ, ob ſalinum volatile eminens, cum iisdem ſymboliſantibus quodammodo oleoſis miculis, vt in oleo cinnamomi & caryophyllorum.

Collecta ſic & unita ſeparantur commode per tritorium, vel vitrum hypoclepticum, a diſtincto liquore, non cura-

curatis adeo paucis guttulis aqueis, quæ in oleo caryophyllorum facile reſorbentur. Tacemus modos alios, per laciniam e bombace ſenſim deſtillante per deſcenſum quendam aqua; per filtrum ipſum, vti oleum tartari, ſi in eodem relinquatur, ſponte preſſione ſua poris patulis eluctatur & ſic ſeparatur purius.

Quædam vero opus habent rectificatione, ſeparanda ſic parte ſubtiliori & magis ætherea a gummoſa craſſiori, exemplo olei ſuccini, coeruleſcentis & ſpiſſi. Id enim in geminas illas partes denuo ſeparatur, affuſa copioſa aqua, deſtillando idem per veſicam, vbi pars alembicum tranſcendit, pars cum aqua remanet, reiicienda, niſi curioſius in emplaſtra quis eandem aptare malit. Idem quoque in quibusdam aliis valet, vt oleo rutæ dicto, vel oleo C. C. ſi quis affuſo ſpiritu vini ſpiritum C. C. oleoſum, in tincturam rubellam hinc fatiſcentem, parare velit. Aſt cauendum & hic eſt, ne dum nimis religioſe volumus exaltare virtutes h. l. oleorum, eo ipſo perdamus, vel imminuamus.

Videas commendatam olei tartari rectificationem, cum cineribus v. g. vel calce viua quoque, ſed noſtra opinione & experimentis fruſtra. Neque enim eo opus eſt. Oleum hoc balſamum eſt nobiliſſimum, non obſtante odore fœtido dicto, quem tantopere non reformidant vel auerſantur ægri; quod ſi eſſe deſinat, nec vires retinet debitas, quas pleno modio, ſpem omnem exſaturans, exerit, citra vllam eiusmodi, imo noxiam potius rectificationem. Idem de ſpiritu ſalis dixero, qui & ipſe hoc fine fruſtra impenditur, & vires ſuas amittit, nec olei vires adauget.

Nec adſervatio indicta relinquenda, quæ neceſſaria eſt, in vitro potiſſimum apto, anguſtioris orificii, cum ſubere, veſica obducto & charta muniendo. Cera huc plane non quadrat, ſoluitur enim ab oleo, idque perdit & corrumpit. Veſica ſola minus ſufficit, potiſſimum in volatilioribus, quæ ſubinde exhalant & ab æthere abripiuntur ſenſim, quod in oleo cochleariæ facile experiri licet.

992.

Reſtat memoranda denique conſiſtentia. Butyroſa quædam ſunt & in coagulum quoddam abire ſolita, exemplo olei roſarum veri, ceræ ipſius, & maxime aniſi. Hoc enim tanquam thermometrum eſt, & ob ſalis volatilis texturam peculiarem veluti gelatum concreſcere viſitur, miro ætheris conſenſu. Reliqua vero ſucceſſu temporis pedetentim ſpiſſeſcere & reſinam imitari jam tetigimus. Et hæc de ἐγχειρήσει quoque dicta ſunto, ſeu præparatione oleorum, cum ſuis annexis.

CAPVT III.

De

Virtutibus & uſu oleorum Deſtillatorum.

DUdum receptum & in confeſſo eſt, olea deſtillata inter præparationes chimicas eſſe præcipuas, ſeu elementa reſpicias, extracta & vnita, ſeu vires.

Enimuero calefaciunt eadem, ſanguinis motum & calorem intendunt, rarefaciunt, vnde in affectibus frigidis, a balſami natiui defectu, quiete, torpore ſummum ſunt remedium, balſamum genuinum, unde & balſama vitæ dicta conſtituunt. Vires habent ſeminales, odore, ſapore teſtibus, communes & ſpecificas, vnde quas exerunt aromata, quas aromatica, καθ' ἐξοχὴν inuenias in oleis hiſce, ſunt enim penetrantia, ſubtilia & ſummæ actiuitatis.

Vtqve expreſſa vel ab his abeunt, limpida & aquoſa, vel paria faciunt, ſed remiſſius, vt aromatica, ita tantum abeſt, vt obuiſcent, & emolliant ſolum, vel laxent & lubricent fibras, vt intimius penetrent, & longe ſuperent illam ſphæram. Emolliunt aquoſa, roborant ætherea, media ſunt bituminoſa.

nosa. Sunt cephalica, & cordialia, spirituum refectiua: sunt pectoralia, incidunt, attenuant, liquant, fundunt pituitam: sunt stomachica, sunt hysterica & febrifuga, seligenda pro distinctis scopis; roborant fœtum & abortum præcauent, promouent partum, diuretica, acori contraria & frigori, quæ obtundunt & corrigunt.

Paradoxum hoc seorsim de iis valet, quod fermentum sanguinis deficiens instaurent, & fermentorum peregrinorum in primis viis sint sedatiua. Illud faciunt, dum exsuscitant spiritus & materiam subtilem, hoc, dum salium spicula retundunt & poros opplent, unaque resoluunt. Potest id per mechanicam ad oculum demonstrari, quando instituto fermento olea resoluta affundimus, & miscemus, vbi mox moti conticescunt fluctus, bullulæ subsident, & pacata ac obsequa redditur massa.

Nec empyreumatica bituminosa sunt de nihilo, quædam interius, reliqua exterius, qui externus vsus etiam laudandus est, seu vtrorumque. Excellunt virtute paregorica & roborante, qua animant reliqua torpida, infusa vel expressa. Resoluunt & disiiciunt coagula, vnde ad scrophulas, ad ganglia, nodos & verrucas tollendas faciunt. Sunt traumatica, vermibus summe infensa, quod de interno vsu quoque intelligendum, & putrilagini. Vitam quasi revocant, in sphacelo curabili, caryophyllorum v. g. & cinnamomi, imo vero & tartari fœtidum. Est hoc diuinum remedium, balsamum traumaticum, vlcerum malignorum superficialium, correctorium, condiens vulnera, vt citra omnem suppurationem coalescant breui.

Menstrua quoque sunt resinosorum, quæ ob symbolicam affinitatem in se recipiunt & soluunt. Quamuis enim bituminosa, vt succinum, iis non æque auscultent; adiuta tamen vel calore intensiori, vel additamentis alcalicis fluida reddunt, imbibuntque, vt in sulphure fit, ad parandum balsamum sulphuris internum & externum. Non immutatum

994.

habent ſulphur, vt ſpiritus vinoſi, non retuſum vel refractum, vt aquæ deſtillatæ, ſed integrum, idque expanſum, vnitum, eminens.

Adhibentur vel per ſe, vel cum aliis, cum ſaccharo Canarienſi in elæoſacchara prompte abeunt, & ſic reſolubilia evadunt, aromatica quidem potiſſimum. Miſcentur in puluеres, rotulas, morſulos, electuaria; abſoluunt vnice balſama, animant ſingula, & præter ea vnguenta, linimenta & emplaſtra.

Tincturam etiam ſecum condunt & in ſinu gerunt, vel calore digeſtiuo exaltata, vnde & fucatas tincturas exhibent, non raro & veras. Reſolubilia ſunt & fluidiora ſic reddenda, miſcendo cum ſpiritu ſalis ammoniaci, cum tinctura tartari, cum eſſentia antimonii tartariſata, vnde fiunt ſalia volatilia oleoſa, variæ vtilitatis. Et egregium eſt experimentum, bituminoſa, vt oleum juniperi, acceſſione oleorum aromaticorum, vt caryophyllorum, ac macis, beari eodem priuilegio, quo ſibi relicta non gaudebant prius. Reſoluta vero ſubpræcipitata liquore aqueo mechanicam lactis ipſius repræſentant, quod maxime ſolemus lactis cephalici titulo, cum oleo ligni ſaſſafras & aqua liliorum conuallium, demonſtrare.

Doſi gaudent minori, vtpote vnitas maxime & concentratas vires poſſidentia, ad guttam vnam, duas, tres, aſſumenda interius. Variat hoc pro viribus & prædominio actiuitatis. Aſcendi poteſt in oleo juniperi, aniſi etiam, ad ſex, octo, pro re nata; præſtat tamen non tam doſes guttulis, quam guttulas doſibus metiri, quod in liquidis & ſolidis diffuſis obſeruatur commode in praxi, maximopere cauendo, ne, noceant, quæ generoſe prodeſſe apta nata ſunt. Vt vt enim legantur etiam largiori præbio innoxie ſumpta; id tamen minus imitandum eſt.

Nocent calidis potiſſimum, vltra quam par eſt rarefactiua, nocent nephriticis, pellendo intempeſtiue calculum,

vnde

vnde mictus cruentus, ischuria, mors ipsa. Diabeticam passionem inferre possunt, vi fusoria & attenuante, & tabem ipsam, quod moderata & refracta dosi non timendum vllatenus. Exemplum communissimum abusus eiusmodi occurrit apud vulgus in balsami sulphuris adhibitione, pessimo & calamitoso sæpe cum effectu. Fœmina empirica puero, filio proprio, febri continua laboranti, oleum succini ad plures guttulas propinando accelerabat mortem. Infantibus tenellis citior noxa, quam genuino vsu non est quod timeas.

Nocent & grauando nimis caput, seu largius in rotulis recipiantur cum aromàticis speciebus, seu empyreumaticæ quoque, seu alia largius feriant nares. Omne enim sensile excellens lædit sensus, etiam hoc loco in odore. Adeoque freno egent salubri, quæ stimulum addere possunt.

Nec externo vsu innoxia sunt, nisi caueas. Auribus, delicatioris sensus machinæ, minus fauent, præterquam parcius, moderatiora & dispersa administrata, largius & fortiora vredinem, ardoremque grauem important. Sunt & corpora alioquin sanæ cutis, quæ a balsamis, a linimentis, etiam cum oleis expressis mixtis, ardorem, vredinem, inflammationem experiuntur, ob *idiosyncrasian* salinæ acrimoniæ lymphæ scorbuticæ.

Vtero administrata excitant spiritus, quod cum essentia asæ foetidæ, & spiritu salis ammoniaci administrato oleo cornu cerui fœtido experti sumus in syncope hysterica, alioqui non excitanda, in momento reddita sibi ægra.

Sed hæc velut in synopsi lustrasse nobis inpræsentiarum sufficiat, neque enim animus fuit congerere plura ex libellis chimicis vel practicis quoque, vnde peti possunt plura. Quod si enim specialius vellemus progredi ad singula olea, & formulas, & affectus ipsos, quibus ministrant eadem, longus se offerret campus & diffusior longe oratio.

Non possumus tamen, quin pauca saltem quædam delibemus. Inprimis minus quadrant dictæ vires de illis, quæ

996.

per putrefactionem præuiam sunt confecta ; siue accidentariam illam, vt quando e putridis pomis citri vel aurantiorum destillatur oleum ; siue etiam studiose intentatam. Mirandum enim est, quod quidam eandem tantum abest vt auersentur, vt potius commendent, arbitrati & innoxiam esse, & plus olei fœnerari, si hoc pacto procedatur.

Ast rectius & consultius omittitur eadem, per illam enim seminalis virtus perit, genuinus odor non manet integer, vel sensu teste. Quis naribus admouere dignatur pomum citrium putridum, malumque aurantium ? Quis ori ingerere sustinet, & degustare ? Quid expectabimus itaque a putrefactione ex condicto instituta ? Habet & illa suas laudes ad liberandum sal volatile, ad alia, sed de oleis aromaticis alia res est. Præstat abstinere ab eadem, non minus ac oleis hac mediante paratis.

Remiscentur vero olea non modo in pulueres, & vbi intime discontinuantur in minimas particulas, vel soluuntur penitus, verum quoque essentiis aromaticis, aliisque, siquidem & penitiori concussione prævia confusæ moleculæ communicantur cum liquore. Imo & interprete saccharo Canariensi in potiones febrifugas, pectorales, analepticas, confortatiuas diduntur, quod quibusdam perusitatum est in praxi, neque frustra, vbi indicantur, imo sic optime adhibentur.

Nec in ipsis clysteribus omittuntur certis casibus, vbi pituita glaciali velut coagulo gaudens disiici expetit, vbi flatus resolui, & frigus auerti dolorificum. Dissociant ibi eadem, si timeas hunc vsum, olea cocta, quæ & sic roborant, nec nitrum anodynum, vitellus oui, ipsaque electuaria juncta in iisdem consortium & miscelam abnuunt.

Neque vero laudata electuaria interno pro vsu solum roborant olea, sed & pilulis fœnerant resolutionem faciliorem, purgantium & in his correctoria & juuantia, quin & formam rotundam iisdem præstant faciliorem.

Affe-

Affectuum & indiuiduorum respectus, cum longius diffundatur, in applicatione oleorum debita, jam tacta, & peritia medica consistens, concinnius ad suos loculos remittendus venit.

SOLI DEO GLORIA.

Lemma Tibi pacis studiique oleosa propago
Sistitur in cathedra non sine laude noua.
Pæonias dudum scrutaris sedulus artes,
Vt solari oleo corpora lassa queas.
Pergo Tuis ausis superaddere calcar honoris,
Quo Patri & patriæ firma columna sies!

Honoris, Affectus sinceri, & faustæ gratulationis ergo, L. M. Q. scrib.

PRÆSES.

Sic Tua sedulitas præclarè se probat orbi,
Mi ROSENBERGI; perge, brabeja feres.

Sinceri adfectus ergo deproper.

RUDOLFUS WILHELMUS CRAUSIUS. D.

Certice confracto nucleo potieris amœno
Nec fugies spinas, cui rosa pulchra placet;

Sic

Sic Tibi, doctrinæ qui flores carpere tendis,
Nec curæ moles nec labor ullus obest.
Macte igitur porro tam splendida dogmata luci
Tradere; Sic Nomen ducis ad astra Tuum.

Nobilissimo Domino Respondenti, Fautori suo honoratissimo & Auditori maxime industrio scribebat

Joh. Hadr. Slevogtius, D. Anat. Chir.
& Bot. P. P. & Phys. Duc. Sax. Prov.

INsita vis magna est oleis: hæc rite parare
Qui didicit, medicâ magnus in arte cluet.

Pauca hæc Nobilis. atque eruditissimo Dn. Respondenti Philosoph. & Medic. Cultori felicissimo de OLEIS disputaturo boni ominis & faustæ adgratulationis ergò scribebam

CASPAR POSNER, Prof. Publ.

NOta ROSENBERGI studii præstantia passim,
Ut trepidem dubius, quo Tuo facta probem.
Apprecor, ut semper Tibi quævis perbene vadant,
Ut sic PIERIDUM sis peramandus amor.

Honoris & affectus ergo apposuit

J. JAC. FICKIUS, Ph. & M. D.
Arch. Com. Mansf.

COnspexere Tuas, doctissima pignora, chartas,
Clare Rosenbergi! Cous, Apollo, Soror.
Pallas ait: mites hæc pagina sudat olivas;
Si Phœbo volamus credere, melle madet.
Subjicit Hippocrates: Non desunt omina chartæ:
Namque Rosenbergus mox mea festa colet.
Tunc olea sparget Pallas Tritonia frondes,
Mella dabit Phœbus, florida Flora rosas.

Ita CLmo Rosenbergio suo in glorioſum pulverem prodeunti applaudunt

CONSALINI.

153566

ULB Halle 3
005 308 526

12

W 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-468798-p0027-0

34 975.

CHRISTO AVSPICE!

DISSERTATIO MEDICO-CHIMICA De OLEIS DESTILLATIS,

SVB

PATROCINIO

RECTORIS DESIGNATI MAGNIFICI,

GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII,

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALIS SAXONICI,
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,

Pro-Patris, Patroni, Præceptoris ac Promotoris
æuiternum deuenerandi,

AD D. JVLII M DC XCVI.

IN AVDITORIO MEDICO,

horis consuetis,

PVBLICÆ PHILIATRORVM CENSVRÆ
subjecta

a

GEORGIO HENRICO Rosenberg/
GOTHA - THVRINGO.

JENÆ,
LITTERIS NISIANIS.